



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Titvlvs XVII. De Filiis Presbyterorvm Ordinandis, Vel Non.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

acceperat, proximè alijs ordinandis assistens quod ipsi deest, consequatur, vti Hostiens. explicat hoc tit. §. Et qualiter conferatur.

2 NOTANDVM II. Materia & forma sacramenti simul, seu eodem tempore super ordinandis adhiberi debent. Idemque sentiendum de alijs sacramentis. Id verò spectata necessitate sacramenti de morali coniunctione intelligendum esse, docui lib. 5. Th. mor. tr. 2. c. 7. n. 8. Adde, quòd idem debeat esse minister, qui manus v. g. Diacono imponit, & verba benedictionis profert: alioquin si alius Minister materiã sacramenti applicet, alius autem formam verborum proferat (quo modo Calvinistæ quibusdam locis baptizare solent) videtur sacramenti collatio irrita esse & repetenda, vti colligitur ex c. quorundam, d. 23. & dixi cit. t. 2. c. 7. n. 7.

3 NOTANDVM III. In ordinatione Clericorum interuenire debet tactus corporalis; v. g. vt manus capiti imponatur, vt patena, calix, liber Euangeliorum tangatur. Verùm ad substantiam sacramenti non requiri ta-

ctum physicum, sed sufficere morale acceptationem oblatis v. g. calicis, morale item manuum impositionem capiti ordinandi factam, tanquam probabile docui lib. 5. Th. mor. tr. 9. c. 5. n. 4. Sed ex necessitate præcepti curandum est, vt verè corporalis & physicus tactus interueniat.

NOTANDVM IV. Formam sacramenti interdum Patres, & Pontifices vocant orationem, seu precem mysticam, vti etiam notauit lib. 5. Th. mor. tr. 8. c. 3. n. 2.

QVÆRES: Vtrum ordinandis diaconis & presbyteris eodem modo manus imponantur. Respondeo: Non eodem modo: Nam in Diaconi ordinatione Episcopus manum dexteram imponit super caput ordinandis, c. Diaconus, d. 23. Sed in ordinatione Presbyteri ambas manus imponit, vt in Pontificali habetur. Sed & ante ordinationem, reliqui præsentis presbyteri iuxta manus Episcopi suas quoq; manus super caput presbyteri ordinandi tenent, c. presbyter, ead. d. & notat Gl. hic. ver. impositio.

TITVLVS XVII. DE FILIIS PRESBYTERORVM ORDINANDIS, VEL NON.

CAPITVLVM I.

Vt filii.

PARAPHRASIS.

Filij Sacerdotum (quos in sacerdotio genuerunt) & alij ex fornicatione nati, ad sacros Ordines promouendi non sunt; nisi Religiosi fiant: Veruntamen tales Religionem professi ad prælaturam assumi non debent. Sed nec serui, seu mancipia, ordinandi sunt, nisi priùs à dominis suis libertate donentur. Sed de seruis tit. seq.

SUMMA



Hoc, & seqq. Titulis, vsque ad xxxiii. agitur de ijs, de quibus dubitari potest, vtrum ordinari debeant, an verò propter irregularitatem, aliãque causam, ordinatio ipsis deneganda sit. Verùm titulus iste de filijs presbyterorum non omnia comprehendit, quæ in eo tractantur. Quare ita potiùs ponendus esset. De filijs presbyterorum, & alijs illegitimè natis, vtrum ordinari ac præfici possint.

SYMMARIUM.

1. Omnes illegitimè nati irregulares sunt, nisi ab Ecclesiastico Principe legitimètur, vel illegitimus religiosus fiat.
2. Ad Prælaturam autem, vel curam animarum extra, aut intra Ordinem promoveri non possunt.
3. Ordinum mendicantium Prælati dispensare possunt ad prælaturas intra Ordinem consequendas.

NOTANDUM I. Omnes illegitimè nati, non tantum spurij, (seu ex damnata copula orti) sed etiam naturales, (siue nati ex simplici fornicatione) irregulares sunt, vt ad ordines, etiam minores, promoveri non possint, absque dispensatione. Ita hîc, iun. c. 1. eod. in 6. & dixi lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 5. c. 5. & videri debet Host. hoc tit. §. Quæ est causa, Rebuffus in praxi benefic. tit. de dispens. super defectu natalium.

Excipitur I. Nisi ab Ecclesiastico Principe, videl. à Papa, vel ab ipso potestatem habente legitimatus sit, tum ad ordines etiam ascendere potest. Non sufficit autem Principis secularis, vid. Imperatoris, aut Regis legitimatio: cum ea ad ciuilia tantum iura, non item ad ecclesiastica se extendat: sicuti nec vice versa Sum. Pontifex sibi in temporalibus non subditos ad ciuilia iura & officia legitimare solet. Quia sicuti officia ecclesiastica à ciuilibus diuersa sunt, ita & potestates discretæ esse debent, vti docuit Nicolaus I. in epist. ad Michaëlem Imperatorem, prope finem. Vide, quæ dixi lib. 5. Th. mor. tr. 10. p. 3. c. 5. n. 16. & quæ infra dicam c. 1. eod. tit. in 6.

Excipitur secundò: Nisi illegitimus Religiosus fiat. Nam Religiosi, eo ipso quòd vota in Religione approbata ediderunt, ad sacros Ordines dispensati censentur. Imò etiam ad vtendum ordinibus susceptis: Tametsi enim illegitimos, quamuis dicant se Religionem ingressuros, Episcopi ordinare non soleant ante professionem (quamuis in casu isto, postulante causa, dispensare fortasse possint, secundum Hostiens. hoc tit. n. 8.) si tamen illegitimi, absque dispensatione ordi-

nati fuerint, ac postea professi, probabile est maculam aboleri, vt celebrare possint, argum. c. 1. d. 56. iun. Gl. & docet Sanchez lib. 5. moral. c. 5. n. 10. contra Sairum in thesauro lib. 6. c. 11. n. 3. Cum enim illegitimè nato, si religiosus factus sit, ordines suscipere concessum sit, cur non etiam susceptis vti? Cum id faciliorem concessionem habeat, vt dixi lib. 5. Th. mor. tr. 5. p. 5. c. 9.

Cæterum ad prælaturam illegitimè natus promoveri non potest, vti habetur hoc c. Sed neque ad curam animarum extra, aut intra Ordinem, c. vlt. eod. tit. Sed alia officia, seu administrationes ordinis, etiam prioratum claustralem, qui ad nutum Superioris auferri potest, illegitimè natis Religiosis conferri possunt, vt colligitur ex iuribus citatis, & docet Nauar. Consil. 6. de filiis Presbyterorum, n. 6. edit. 2. Sairus loc. cit. Sanchez. n. 16.

Præterea Ordines Mendicantium Apostolicum priuilegium habent, vt eorum Prælati in Capitulo Generali, aut Prouinciali cum illegitimè natis dispensare possint ad Prælaturas intra Ordinem consequendas, vt videre est apud Rodriq. tom. 1. regul. q. 13. a. 6.

CAPITVLVM II.

Præsentiam.

PARAPHRASIS.

Robertus Presbyter, ex sacerdote illegitimè natus, impetrauit ab Alexandro III. Pontifice capellaniam in Ecclesia, in qua pater eius beneficium habuerat, in postulatione id ipsum reticens. Hoc cognito, rescribit Papa, non obstantibus prioribus Papalibus literis, Robertum à capellania amouendum esse.

SYMMARIUM.

1. Filius clerici illegitimè natus non potest obtinere beneficium in ecclesia, in qua pater ex officio ministravit, vel beneficium

Y y cium

- ciam habet, aut habuit, nec pensiones habere super fructibus paterni beneficij.*
2. *Religiosus illegitimus non potest in seculari ecclesia ex officio v.g. vt parochus aut Vicarius ministrare, in qua pater eius beneficium habet, vel habuit.*
 3. *Filius illegitimus non potest in Religionem seu monasterium, in quo pater eius professus est, ipso vivente suscipi.*
 4. *Prohibet Trident. ne in fraudem huius constitut. resignationes reciproca fiant in fauorem filiorum à parentibus clericis.*
 5. *Litera papales subrepticia sunt, presertim beneficiales, si impetrata sunt tacita veritate, quæ si cognita fuisset Pontifici, gratiam non fecisset, aut beneficium non contulisset, vel conferri mandasset.*
 6. *Papa facilius dispensat cum filio Sacerdotis, vt post ipsam ministret in eadem ecclesia, quam vt simul cum patre.*

NOTANDUM I. Filius Clerici illegitimè natus non potest obtinere beneficium in ecclesia, in qua pater ex officio ministravit. Id verò expressius definitum est in Concil. Trident. sess. 25. c. 15. de reform. Vt non liceat filio Clerici illegitimè nato in ecclesia, vbi eius pater beneficium aliquod ecclesiasticum habet, aut habuit, quodcunque, etiam dissimile beneficium obtinere, nec quoquo modo ministrare: sed nec pensiones habere super fructibus beneficij, quod pater eius obtinuit. Ratio constitutionis affertur in eod. c. 15. vt paternæ incontinentiæ memoria ab Ecclesijs, seu locis D E O sacratis longissimè arceatur.

Sunt autem diligenter attendenda verba Constitutionis, vt ultra ea extensio non fiat in materia pœnali. Primò itaque ad hanc inhabilitatem requiritur: quòd sit filius clerici, non ex matrimonio legitimo natus. Quòd si ante clericatû patris ex fornicatione susceptus sit, etiam comprehendetur hoc decreto. Neque iuuat, tamen si illegitimè natus à Pontifice legitimatus sit; nisi etiam

hæc inhabilitas expressè sublata fuerit, vt docet ex communi Sairus in thesauro lib. 6. c. 9. n. 30. Nam etiam post legitimationem manet incontinentiæ paternæ memoria, quæ locum sacrum dedecet, vt leges apud Gallemart in remiss. super cit. c. 15. Trident.

Sed QVÆRITVR primò: Vtrum etiam Religiosi comprehendatur, si ex clericis illegitimè nati sint? Negat absolute Sairus apud Ioann. Gallemart in remissionibus super cit. c. 15. Respondeo & dico I. Religiosus illegitimè natus non potest in ecclesia seculari ex officio ministrare v.g. vt parochus, aut Vicarius in qua pater eius beneficium habet, vel habuit. Nam cap. huius atque Concilij Trident. constitutio generalem de omnibus illegitimè natis presbyterorum filijs, siltrem in ordine ad seculares ecclesias, prohibitionem continet. Accedit, quòd eadem ratio vrgeat, vt paternæ incontinentiæ memoria à locis sacris aboleatur.

Dico II. Filius illegitimè natus, in Religionem, seu Monasterium, in quo pater eius professus est, ipso vivente suscipi non potest. Ita statuit Gregor. XIV. in Bulla, quæ incipit: *Circumspecta*, apud Quarantam in summa Bullarj, ver. Monasteria. Inde autem per contrarium sensum colligi videtur: Si pater mortuus sit, suscipi posse in eandem Religionem seu Monasterium. Quia, vt Rodriq. notauit tom. 1. Regul. q. 13. a. 6. Alex. III. in hoc c. & Trident. Concilij intentio non fuit restringere illegitimis libertatem Religionem ingrediendi, eò quòd Patres eorum, quamvis sacerdotes, in eodem Monasterio vel Religione professionem ediderint.

QVÆRITVR secundò: Vtrum dictis constitutionibus comprehendatur etiam nepos ex filio illegitimo clerici legitimè vel illegitimè natus, quòd ex officio ministrare non possit in ecclesia, vbi eius pater beneficium habet, vel habuit. De hac re diuersæ Cardinal. declarationes, & contrariæ DD. sententiæ extant. Sed probabilius negatur. Quia in constitutione pœnali, & odiosa, qualis hæc est, appellatione filiorum non

com-

comprehenduntur nepotes, uti dixi etiam lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 14. n. 5.

Alterum REQUISITUM est. Quod pater beneficium habeat, vel habuerit. Unde colligitur primò: Si filius etiam illegitimè natus, in aliqua ecclesia beneficiat⁹ fuerit, ac mortuus sit, vel resignarit, posse patrem eius in eadem beneficio succedere, non obstantibus dictis constitutionibus, quippe quæ extendi non debent ultra casum expressum. Accedit, quòd alia sit ratio in filio succedente patri: quia filius quodammodo representat patrem, ideòque paternæ incontinentiæ memoriæ continuat. Quæ ratio non ita locum habet in patre comparatione filij illegitimi. Ita ex communi docet Nicol. Garcias p. 7. c. 3. n. 28. Nauar. lib. 1. conf. 9. & 10. hoc tit. edit. 2. Simul tamen non possunt pater & filius in eadem ecclesia ex officio ministrare, uti apertè ex Trid. Concil. colligitur. Quare si filius iam obtineat in ecclesia beneficium, pater eius admitti non potest, uti etiam Cardinal. declararunt cit. c. 15. n. 4.

Colligitur secundò. Si pater in ecclesia intitulatus non fuit, sed ut Capellanus, vel Cooperator amobilis inseruiuit, posse filium eius illegitimè natum in eadem ecclesia beneficium acquirere. Ita Cardinales declararunt apud Garciam loco cit. n. 72. Simul tamen permittendum non est, ut pater & filius quomodocunque ministrent ex officio & obligatione, tamen si pater intitulatus non sit. Sed ex deuotione, aut ad stipem promerendam nihil impedit eos simul celebrare: vel vnum ita celebrare in ecclesia, ubi alter beneficiatus est, sicuti ex probabiliore docet Garcias n. 70.

Colligitur tertio: Si pater pensionem tantum in ecclesia habuit, quam in alterum transferre concessum sit, quòd eam filio cedere possit: quia pensio non est beneficium. Ita ex communi Azor tom. 2. lib. 8. c. 7. q. 7. Garcias cit. c. 3. n. 34. De hoc tamen merito dubitari potest, si pensio spiritualis sit, seu ex spirituali ministerio proueniens, iuxta ea, quæ dixi lib. 4. tr. 2. c. vlt. n. 1.

Sed QUÆRITVR I. Quid si pater in aliqua

Ecclesia intitulatus nullos redditus habuit, sed tantum sedem ac locum v. g. Canonici, potestne eius filius illegitimus in eadem Ecclesia beneficium, aut pensionem aliquam consequi? Respondetur negatiuè ex Cardinal. declarat. apud Garciam n. 66.

Quæritur secundò. Quid si pater intitulatus fuit in Ecclesia, sed possessionem nunquam est assecutus, quia prius resignauit. Respondetur ex eodem Garcia n. 55. Gallemart. cit. c. 15. n. 4. §. Non sunt, & n. 6. posse filium in eadem Ecclesia institui. Quia non plene censetur beneficium in Ecclesia consecutus. Sed vice versa si pater possessionem beneficij, quamuis non pacificam, & sine titulo legitimo acquisierit, tum filius in eadem Ecclesia ex officio ministrare non potest, uti ex Cardinal. declarat. refert idem Garcias n. 59.

Quæritur tertio: Quid si pater intitulatus fuit, & possessionem beneficij assecutus, tamen nunquam in eo ministrarit? Respondetur, Filium eius in eadem Ecclesia deservire, aut beneficium consequi non posse: quia pater eius beneficium consecutus censetur: ideòque obstat Constitutio Trident. Ita Cardinales apud Gallemart n. 4. in fine, Garciam n. 56. 57.

Tertium REQUISITUM. Ut beneficia, seu officia in eadem Ecclesia sint. Sin autè in diuersis ecclesijs v. g. parochialibus, quarum vna est vnita alteri, tanquam filia matri, nihil obstat filium illegitimum fieri Vicarium aut Capellanum in Ecclesia accessoriè vnita, absque obligatione ministrandi in Ecclesia principali, cuius Rector sit pater eius. Secus autem est, si beneficia, vid. ecclesiæ parochiales ita sub eodem Rectore vnitæ sint, ut vtraque sit per se ac principalis, tunc si pater in vna est, aut fuit Rector, vel aliter beneficiatus, tunc filius eius illegitimus nõ poterit ex officio ministrare. Ita Cardinales apud Ioan. Gallemart, cit. c. 15. & Garciam num. 62. 65.

His tribus positis conditionibus seu requisitis, constitutio prohibitiua tria continet. Primum. Quòd filio clerici beneficium qualecunque conferri non possit. Et debet

hoc intelligi de beneficio etiam manuali, atque commenda temporali. Alterum. Quod filius Clerici in ea ecclesia quouis modo ministrare permittendus non sit. Quod intelligi debet ex officio, ut videl. Cooperatorem, vel sacellanum agat pro stipendio seu salario sibi constituto. Sed quod neque Sacristæ, vel Cantoris officio in ea ecclesia fungi possit, Cardinal. declararunt, cit. c. 15. Tertium. Quod pensionem aliquam ex fructibus eius beneficij, quod pater obtinet, vel obtinuit, filius consequi non possit.

4 Porro his addendo prohibet Tridentin. Concil. eod. c. 15. in fine; ne in fraudem supra dictæ constitutionis resignationes reciproce in fauorem filiorum à parentibus Clericis fiant. Necessè tamen est, ut aliqua pactio inter renuntiantes interueniat, & nõ ex mera voluntate, aut ex gratitudine aliquis renuntiet filio eius, qui sibi aut cognato suo antè renuntiarat, uti videre licet apud Nauar. lib. 1. consil. 10. de renunt. edit. 2. Exempli causa: Titius Parochus parochiam suam renuntiavit in fauorem Caij, qui est filius Sempronij Rectoris alterius Parochiæ: Iste Rector post duos, vel tres annos Parochiam suam, nulla præcedente resignandi obligatione, renuntiat in fauorem Seij, qui est filius illegitimus Titij, valida & Trident. Concil. non repugnans hæc renuntiatio iudicari debet.

5 NOTANDVM II. Literæ papales subreptiæ sunt, præsertim beneficiales, si impetratæ sint tacita veritate, quæ si Pontifici narrata, & cognita fuisset, nequaquam gratiam fecisset, aut beneficium contulisset, vel cõferri mandasset. c. eum aded, 17. c. super literis, 20. de reser. Cæterum si Papa proprio motu, & ex certa scientia conferat ac mandet conferri beneficium Titio, qui Clerici filius est, tamen illud olim à patre eius obtentum fuerat, validum est rescriptum, & executioni mandandum. Quia clausula *ex certa scientia* rescripto inserta omnem præsumptionem subreptionis excludit: quin potius præsumi debet, Papam sciuisse impedimentum eius, pro quo scribit, & cum eo dispensare, sicuti docet hic Gl. ver. non obstantibus, & sequitur Anton, & alij, arg. c. si motu, 23. de præb.

in 6. Vel etiam si in specie nesciuerit, voluit tamen dispensare, si canonicum impedimentum Papali potestati qualecunque subsit, idque propter adiectam clausulam, nõ obstantibus: sicuti notauit Lopus c. 1. de filijs Presbyterorum in 6. n. 6.

His addendum est; quod Papæ filio sacerdotis facultas dispense, ut post ipsum ministret in eadem ecclesia, quàm ut simul cum patre. Id enim ecclesiæ decori magis repugnat, arg. c. cum decorem, 15. hoc tit. & notat Rebuff. in praxi, tit. de dispens. super defectu natal. n. 31.

CAPITVLVM III.

Præsentium.

Filius sacerdotis non potest suscipi ad ministerium Ecclesiæ, cui pater eius præfuit: Et, si susceptus est, inde amouendus est.

CAPITVLVM IV.

Conquerente.

Si constat, quod pater Richardi, ex ipso illegitimè nati, in ecclesia beneficium aliquod, v. g. personatum obtinuit, non potest Richardus vel idem, vel aliud in eadem ecclesia beneficium habere, aut retinere.

CAPITVLVM V.

Veniens.

PARAPHRASIS.

Nicasius Clericus ab Episcopo suo Presbyter ordinatus fuit, & Rector Capellæ S. Leonardi creatus, sed postea ab eodem spoliatus ac deiectus, eò quod pater eius in eadem ecclesia ministrauerit. Quare Nicasius questus est Alexandro III. Qui re intellecta, scripsit ad Episcopum: Si is eo tempore, quo Nicasium presbyterum ordinauit, & Capellæ præfecit, sciuerat, patrem eius in eadem ecclesia ministrasse, cum

tum ecclesiam seu Capellam ipsi restituat; amoto altero presbytero, si quem in locum eius substituit. Sin autem ignorauerat, nihilominus ipsi ecclesiam restituat, donec ei de alio beneficio prouideat, ex quo honeste se alere possit.

SYMMARIUM.

1. Superior proprio facto contradicere, illudque oppugnare, aut rescindere non potest.
2. Episcopus beneficium alicui contra canones conferens, cum non esset dispensandi potestate præditus, si is à beneficio amouendus sit, à superiore Episcopi v.g. Metropolitano amoueri debet.

Contra hanc Alexandri III. responsionem non exiguae difficultates mouentur; supposito, quod Nicasius iste ex Sacerdote illegitimè natus fuerit, sicuti plerique Canonistæ intelligunt, & textus indicat, quâdo absolutè proponitur, patrem in eadem Capella ministrasse, & ideo filium institutum non fuisse. Quod de legitimè nato filio dici non potest, nisi pater immediatè substituitur, ut infra hoc tit. declarabitur.

Difficultates autem sunt hæc: Prima, Constat ex c. 2. & seqq. ead abolendam, 16. hoc tit. Filios presbyterorum illegitimos ex ecclesiis, in quibus patres eorum beneficia habent, aut habuerunt, amouendos esse. Quare si Nicasius iste, tanquam non canonicè institutus, remoueri debuit, cur Pontifex iussit eum restitui, & quidem amoto altero, qui in locum eius auctoritate ipsius Ordinarij substitutus erat?

Altera. Cùm Nicasius reticendo inhabilitatem suam, Episcopum rei ignarum fraude circumuenerit, non debebat ex iniquitate sua commodum referre. Igitur omnino remouendus erat, neque restituendus, donec aliud ei beneficium prouideretur.

Sed his non obstantibus, defendenda est responsio Alexandri Papæ, atque Notandum hinc eruendum. Quod superior proprio facto contradicere, illudque oppugnare aut re-

scindere non possit, uti hinc Innoc. Andr. Anton. & alij communiter tradunt. Id uerò intelligi debet, dummodò factum, v.g. collatio beneficij, saltem secundum substantiam, seu spectato naturali iure, subsistat, donec à Superiore rescindatur. Si enim nullo modo actus subsistat, quia v.g. potestas in conferente omnimodè deficit, tunc Superior proprium factum tanquam irritum reuocare potest ac debet. Cuius exemplum habemus in c. nocti, 9. de elect. ubi Episcopus, qui ante confirmationem, ideòque antequam iurisdictionem consecutus fuerat, beneficia contulerat, collationem reuocare iubetur. Quare si Episcopus alicui (qui tamen spectato naturali iure habilis est) beneficium contra canones contulit, cùm dispensandi potestate præditus non esset, non ipsemet eum amouere potest, sed si amouendus sit, à Superiore Episcopi, uidel. à Metropolitano, vel Papa amoueri debet, uti expressè habetur in c. diuersis, 5. in fine, de cleric. coniugatis.

Quare patet, quid respondendum sit ad obiectiones. Ad 1. Quod Episcopus non habuerit ius Nicasium amouendi, si eum scienter instituerat, consequenter non habuit ius alterum substituendi. Si enim vnus destitutio rata non fuit, neque alterius substitutio valere debuit.

QVÆRES. Quid itaque in tali casu facere debet Episcopus. Respondeo: Si nemo homini litem moueat, & scandalum nullum subsit, dissimulare rem potest. Sin autem lis coram ipso moueatur, vel scandalum adsit, tum suadere, imò etiam imperare homini potest, ut beneficium resignet, vel à Superiore reuadationem tituli petat. Quod si recuset, tum in pœnam contumaciæ & inobedienciæ eum priuare poterit, vel quod tutius est, curare, ut à Superiore priuetur, seu amoueat. Porro Summus Pontifex in casu huius c. noluit amouere Nicasium, sed gratiam illi facere, uti bene notauit Gl. hinc, ver. restituas, quia Nicasius ei supplicauit; partim uerò in odium Episcopi, ne temerarium eius factum temerè promouentis, & mox proprium factum retractantis, approbare uideretur.

Ad 2. resp. Considerata quidem ea parte,

Yyy 3

quæ

quæ in obiectione proponitur, Nicasium priuationem meruisse: Ex altera verò parte considerandum est, quòd Episcopus, cum Nicasium presbyterum ordinauit, debuerit illi secundum canones titulum beneficij prouidere, c. cum secundum, 16. de præbendis: consequenter non potuit illum à parochia remouere, nisi ad alterum beneficium transferendo. Quod cum Episcopus non fecerit, mandatur ipsi, vt hominem ad suum beneficium, vnde non debito modo amotus erat, restituat, donec ei aliud beneficium prouideatur. Videri potest Rebuff. in praxi, tit. de dispens. super natal. defectu n. 79.

CAPITVLVM VI.

Proposuit.

PARAPHRASIS.

Romanus Sacerdotis filius ab Episcopo Oxonensi Subdiaconus ordinatus fuit. Postea eum loci Dominus, ac patronus ad parochiam præsentauit. Sed Episcopus præsentationem reiecit, eo quòd non esset legitime natus. Hac de re Romanus conquestus est Alexandro III. Is scribit ad Episcopum, indignum esse, quòd ordinatus Subdiaconus beneficij ecclesiastici prouisione carere debeat. Ideo mandat, vt honestus ac probatus Sacerdos, cum Romani consensu instituat in ecclesia illa, Romanus autem Subdiaconum eius, seu ministrum agat: cui etiam reddituum medietas assignetur. Quandoquidem presbyter ibi institutus non potest solus, atque sine ministro Missarum solemniam, & alia officia diuina celebrare.

SUMMARIUM.

1. Posito, quòd filius sacerdotis, vel alius illegitimè natus ordinatus est, eide beneficio prouideri debet.
2. Parochialis ecclesia eos redditus habere

deberet, vt præter Parochum seu Rectorem, Diaconus seu Cooperator ali possit: quamuis hoc pluribus locis consuetudine non obseruetur.

NOTANDVM I. Licet Episcopus illegitimè natus in sacris ordinare non debeat, sine Pæpæ dispensatione, si tamen eum ordinauit, debet illi ecclesiasticum beneficium prouidere; cum non deceat eum egere ac mendicare cum opprobrio cleri, c. Diaconi sunt, 23. circa medium, d. 93. Ita Anton. hic, n. 1.

Cum itaque Episcopus Romano saltem simplex beneficium prouidere debuerit, Pontifex hoc ei consilium suggestit, vt alius in ea Ecclesia Rector instituat, Romanus autem eius hypodiaconus esset, media parte reddituum eidem assignata.

Sed quæri potest I. Quare Pontifex non dispensauit cum Romano, vt Ecclesiam illam curatam regere posset. Resp. Quia non deceat Pontificem cum filio sacerdotis ad beneficium curatum dispensare, sine magna causa, vt docet Host. hoc tit. n. 8. Talis autem causa hic deerat.

Secundò: Quare dicitur, ipsius Romani consensum requirendum esse? Ideo arbitror; quia cum partim ratione ordinationis suæ absque titulo beneficij, partim ratione præsentationis, ius & actionem aliquam habuerit contra Episcopum, voluit Pontifex, vt in hanc veluti transactionem ipsi propositam consentiret: non negata illi facultate, si quid opponere vellet.

Tertiò: Cur non etiam dicitur, consensum patroni in institutione alterius Presbyteri requirendum esse? Respondeo: Id non negari, sed supponebatur, si Romanus consenserit, patronum quoque contentum fore: cum tota hæc prouisio in ecclesie illius utilitatem, & honorem cessura sit.

NOTANDVM II. Parochialis Ecclesia eos fundationis redditus habere deberet, vt præter Parochum seu Rectorem Diaconus seu Cooperator ali possit: cum solus sacerdos

hos congruè ac decenter sine ministro diuina officia celebrare non possit. Ita bene hic notat Gl. ver. soluit. Quamuis hoc pluribus locis consuetudine non obseruetur.

CAPITVLVM VII.

Ex transmissa.

PARAPHRASIS.

Gaspar Clericus (legitimè natus) à patre ad beneficium quoddam præsentatus erat. Sed Archiepisc. Cantuariensis eum instituere nolebat, quòd pater eius idem beneficium obtinuerit. Timebat enim, ne ea res speciem quandam successione hæreditariæ præ se ferret, si filius patri in beneficio succederet. Ea re intellecta, Alexand. III. mandat Archiepiscopo, vt dicto Gaspari beneficium conferat: cum enim post patrem alia persona in beneficio intercesserit, nullum esse potest hæreditariæ successione periculum.

SUMMARIUM.

Filius legitimus eodem beneficio frui potest, quo mediatiè pater fruebatur.

NOTANDVM Vn. Filius legitimus idem beneficium, quod pater eius habuit, absque dispensatione obtinere potest, si non immediatè ei succedat. Quia hoc casu dici non potest, quòd iure quasi hæreditario id consequatur; cum non patris, sed potius alterius personæ successor sit. Necesse tamen est, vt persona intermedia non tantum titulum acceperit, sed & possessionem, vt notat Rebuffus in praxi tit. de dispens. super natalium defectu, n. 22. Sed etsi possessionem beneficij extraneus acceperit, sed statim ab eo antecessoris resignarit, censetur fraus commissa contra canonem, vt idem Rebuff. notat num. 23.

* * *

CAPITVLVM VIII.

Constitutus.

PARAPHRASIS.

Guilielmus Clericus capellaniam quandam adeptus, in ea pluribus annis ministravit; postea à quodam milite eà spoliatus, & eiectus fuit. Cum autem de hoc apud Ordinarium questus esset, obiectum illi fuit, quòd pater eius in eadem capella ministravit. Sed Guilielmus replicauit, quòd pater eius nullum in ea capella titulum habuerit, neque perpetuus Vicarius fuerit, sed nomine ac vice ipsius Guilielmi ad tempus ministravit. His coram Alexand. III. propositis, respondet, si ita se res habeat, Guilielmo beneficium illud vnà cum redditibus ab alieno possessore perceptis restituendum esse.

SUMMARIUM.

1. *Filius etiam illegitimus, patrem vt Vicarium temporalem in administrando beneficio constituere potest.*
2. *Iniuste spoliatus beneficio, ad illud restitui debet vnà cum fructibus perceptis & percipiendis.*
3. *Si spoliatus simul iudicio possessorio & petitorio agat, Iudex inquirere debet, an per vim spoliatus fuerit, & an eius in beneficio competat; secus est, si tantum possessorio agat, sine restitui se possulet.*

NOTANDVM I. Filius patrem vt Vicarium temporalem in administrando beneficio constituere potest. Idque locum habet siue legitimus filius sit, siue illegitimus. Sin verò filius patri beneficium renuntiarit, eumue inuestiri permiserit, tum filius idem beneficium nunquam consequi potest, si illegitimè natus est: sin autem legitimus, saltem immediatè post patrem, adipisci illud non potest.

NOTANDVM II. Si quis beneficio iniu-

iniuste spoliatus fuit, restitui ad illud debet, vnà cum fructibus ab iniquo possessore perceptis: quin & ijs, quos ipsemet percepisset, nisi iniuste spoliatus fuisset, ita vt per omnia indemnus seruetur, vt habetur in c. grauis, 11. de restit. spoliator. & reg. 79. ff. & dixi lib. 3. Th. mor. tr. 2. c. 4. in fine.

3 NOTANDVM III. Si spoliatus seu deiectus à beneficio, simul iudicio possessorio, & petitorio agat, tum Iudex de vtroque inquirere debet; videl. vtrum per vim spoliatus fuerit, & vtrum ei ius in beneficio competat, vt hic notat Gl. ver. cietus, & habetur etiam in c. cum dilectus, 5. de causa possess. & propriet. Alioquin verò, si deiectus tantum possessorio agat, siue restitui se postulet, non potest ei obijci vitium canonicæ institutionis: sed ante omnia restitui debet, & postea quæstio agitari de proprietate iuris, seu titulo beneficii, iuxta c. in literis, 5. de restit. spoliat.

CAPITVLVM IX.

Ex tua.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Eboracensis obtinuerat à Papa Alex. III. facultatem dispensandi cum Clericis, filijs sacerdotum (legitimis) vt possent retinere ecclesias, quas eorum patres immediatè ante illos possederunt. Sed postea quidam clerici cõtra sacerdotum filios ab eodem Pontifice literas impetrarunt ad quosdã Iudices, quibus mādabatur, si constaret illorum patres immediatè antè Ecclesias possedisse, filij remoueantur, & Clerici, qui literas impetrarunt, instituantur. Verum Alexander postea de tota causa plenè edoctus, rescripsit Archiepiscopo, si ipse priorum literarum suarum vigore cum quibusdam sacerdotum filijs dispensarat, vt posterioribus literis tãquam subreptitijs nihil moueatur. Addit deinde, sacris canonibus repugnare, quòd beneficia Ecclesiastica à laicis, sine Episcopi auctoritate conferan-

tur: quare si qui Clerici ita instituti sint, remoueri debeant.

SYMMARIVM.

1. *Literæ papales disponentes de instituendo impetrata in beneficio, amoto possessore, subreptitiæ sunt, & executioni non mandandæ; si in ijs mentio non fiat dispensationis ab Ordinario factæ.*
2. *Laici non possunt beneficia conferre, aut beneficiatos instituire.*

NOTANDVM I. Literæ Papales, quibus iubetur, vt impetrans in beneficio instituatur, amoto possessore tanquam vitiosè intruso, subreptitiæ sunt, & executioni non mandandæ, si in ijs mentio non fiat dispensationis ab Ordinario factæ; saltem in ijs casibus, quibus dispensandi facultas ei competit.

NOTANDVM II. Laici non possunt beneficia conferre, aut beneficiatos instituire. Tamen si Ecclesiæ patroni sint, Clericos præsentare possunt ad beneficia: non tamen ipsi eos instituunt, sed ordinarius collator, videl. Episcopus, alijsue Prælatus,

CAPITVLVM X.

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Si notorium est, quòd patres Clericorum illegitimè natorum in aliqua ecclesia personatus possederint, absque testium auditione, aliòque iudiciario processu, filij ex eadem ecclesia amoueri debent.

SYMMARIVM.

In causa publicè notoria non est necesse testes producere, aut ordinem iudicium obseruare: sed tamen proponi seu allegari debet factum esse notorium.

NOTANDVM VI. In causa publicè notoria necesse non est testes producere, aut ordinem iudicium obseruare. Ita etiam habetur in c. de manifesta, 17. causa 2. q. 1. Necesse tamen est, vt proponatur, seu allegetur factum notorium esse, vt apparet, inquit

inquisitione, aut probatione non indigere. uti docent DD. in l. ea quidem, 7. C. de accusat.

CAPITVLVM XI.

Ad hæc.

S V M M A R I V M.

1. *Filius etiam legitimus remouendus est à beneficio, quod parens immediatè ante possedit.*
2. *Nepos autem, viuo patre suo, succedere potest in eodem beneficio immediatè auo suo.*

Filij Clericorum, etiam legitimè nati, amouendi sunt ab Ecclesijs, quas patres eorum, nulla mediante persona, in titulum, etiam per modum perpetuæ vicariæ, tenuerunt.

Ratio affertur in Trident. sess. 25. c. 7. de reform. Quia in beneficijs ecclesiasticis ea, quæ hæreditariæ successionis speciem præ se ferunt, sacris constitutionibus contraria sunt, uti videre est in c. Apostolica, 7. causa 8. q. 1. Necessè autem est, ut pater beneficij possessionem assecutus sit, tamen si fortè nullos redditus perceperit, aut nunquam in Ecclesia ministrarit. Sin autem tantum titulum beneficij, non autem possessionem consecutus sit, quia statim renuntiauit, tum filius idem beneficium consequi potest, quia hoc casu pater quasi non cõsetur habuisse beneficium, quod nunquam tenuit seu apprehendit, uti docet Garcias p. 7. c. 3. n. 55.

Sed quæstio est: Vtrum nepos in eodem beneficio immediatè succedere possit auo suo? Negat Gl. hic ver. filij. Sed meliùs distinguit Hostiensis in sum. huius tit. §. Qui filij, Innoc. in hoc c. Syl. ver. beneficium, 3. q. 6. Viuo patre suo succedere posse; eo mortuo non posse. Quia tunc in locum patris sui subintrans, auo filij loco esse censetur. Instit. de hæredum qualit. §. sui autem. Quare tota ratio hæreditariæ successionis euitandæ hic locum habet, ut dixi lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 14. n. 6.

Si Obijcias: In materia odiosa nomine filiorum non comprehendi nepotes. Resp. Non versari nos in materia odiosa aut pœnali: siquidem filij legitimè nati non ob pœnam aliquam à paternis beneficijs arcantur; sed principaliter ob honorem Ecclesiarum, ne in ijs hæreditariæ successionis iura introducantur. Quare spectata principali intentione, constitutio hæc potius fauorabilis iudicari debet. Accedit, quod nepotes, post mortem patrum suorum, etiam filiorum nomine comprehendi soleant, si de successione, aut quasi successione hæreditaria sermo sit.

Corollarium. Neque nepos legitimè natus ex filio illegitimo Titij, post mortem patris, succedere potest in beneficio Titij aui sui: saltem si pater eius, quia legitimatus erat, jus succedendi habuerat in bonis Titij, quod ius in nepotem transit. Et ita sentiunt hic Hostiensis. Innoc. & alij.

CAPITVLVM XII.

Ad hæc.

P A R A P H R A S I S.

Filius Episcopi, qui ex legitimo matrimonio ante patris sacerdotium natus est, ad sacros Ordines promoueri, & in ea etiam Cathedrali Ecclesia, cui pater eius præest, aut præfuit, beneficium, v. g. præposituram, aut Canonicatum consequi potest.

S V M M A R I V M.

Filius legitimè natus in eadem ecclesia, in qua pater beneficium habet, aliud quodcunque consequi potest.

NO T A N D V M I. Filius in eadem Ecclesia, in qua pater beneficium habet, aliud quodcunque beneficium consequi potest. Idq; verum est, tamen si beneficium filio collatum simile sit paterno, ut si filius Canonicus fiat in eadem Ecclesia, in qua pater eius

Z z z eius

eius Canonatum habet. Ita contra quosdam Canonistas recte docet Rebuffus in pra-xi tit. de dispens. super defectu natalium, n. 32. ubi ait, inauditum esse, ut filius legitimus petat dispensationem ad obtinendum beneficium in ecclesia, eò quòd pater inibi etiam habeat. Nam in filiis Clericorum legitimis id solum cauetur, ne patribus in beneficio immediatè succedant. Si autem pater & filius simul beneficia, quamuis similia, obtineant, vnus non succedit alteri, eò ipso quòd vterque suum habet, & retinet. Accedit, quòd successio necessario fiat in eodè beneficio; ubi autem duo beneficiati sunt, necesse etiam est duo beneficia, v. g. duos canonicatus esse, argum. c. dilecto, 25. de præb. Ergo successioni locus non est.

NOTANDVM II. Post mortem patris beneficiati filius legitimus in eadem ecclesia beneficium consequi potest, dum eodè non in eodem immediatè illi succedat. Ita Hostiensis hoc tit.

§. Qui filij.

Crossarium. Si Ecclesia Collegiata numerata non sit, id est, numerum Canonicorum determinatum nō habeat, tum post mortem patris Canonici, statim conferri potest Canonicatus filio eius legitimo. Quia cum Canonicatus in ecclesia non numerata morte Canonici vacare non censeatur, iuxta c. ex parte, 10. de concess. præb. & dixi lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 16. n. 5. ideo dici non potest, filium in eodem beneficio succedere patri. Ita notauit hic Anton. de Butrio.

CAPITVLVM XIII.

Michael.

PARAPHRASIS.

Presbyter quidam significauit Alexandro III. quòd Rectoriam alicuius Ecclesie canonicè adeptus fuisset, quam ante ipsum Antonius possidebat. Sed Marcus filius legitimus Antonij assererat, sibi eiusdem Ecclesie Vicariam perpetuam competere. Ad id respondet Papa, si res

ita se habeat, vti narratur. Marco silentium perpetuum super ea Vicaria imponendum esse.

SUMMARIUM.

1. Non potest filius esse Vicarius perpetuus ecclesie cuius immediatè pater Rector fuit.
2. Pater, ad quem ratione alicuius personatus, ecclesia parochialis per incorporationem spectat, Vicarium ibi perpetuum instituire non potest legitimum filium suum.
3. Si Rector principalis ecclesie mortuus sit, & Vicaria etiam vacet, potest ea filio defuncti Rectoris conferri, si persona media intercessit.
4. Si pater in aliqua Ecclesia Vicarius intitulatus fuit, non potest immediatè post ipsum filius Vicariam consequi.

NOTANDVM Vn. Filius legitimus non potest obtinere Vicariam perpetuam eius ecclesie, in qua pater eius Rector principalis, nulla persona mediante, extitit. Ratio est, quam assignat Hostiens. hoc tit. §. Qui filij. Quia vnus beneficij v. g. parochie, vnus est titulus, seu vnum & individuum ius, c. dilecto, 25. de præb. Ergo si filius perpetuam Vicariam acquirat, adeoq; intituletur in parochia, quam pater eius proximè obtinuerat, censetur succedere patri.

QVÆRES I. Potèstne pater, ad quem ratione alicuius personatus, ecclesia parochialis per incorporationem spectat, Vicarium ibi cōstituere legitimum filium suum? Respondeo; Possè constituere Vicarium temporalem; non autem perpetuum, seu intitulatum. Et hunc arbitror fuisse casum huius c. quòd Marcus ab Antonio patre suo Vicarius constitutus fuerit, illòque mortuo, quasi ius & titulus Vicarie sibi competere recedere noluerit. Quod improbat Papa: quia si ecclesie Rector filium suum Vicarium perpetuum seu intitulatum faceret, tum ius beneficiale illi communicaret, ideoque filius quasi hæreditariè succederet in iure patris.

Dices

Dices: Ponamus, priorem Antonij Rectoris Vicarium mortuum fuisse, si filius eiusdem Antonij substituatur, non succedet patri suo, sed antecessori Vicario. Respondeo. Id fieri non posse: nam mortuo Vicario omne parochie deuoluitur ad Rectorem: consequenter si filius eius deinde Vicariam perpetuam assequatur, censetur succedere in iure patris.

QVÆRES II. Si Rector ille principalis mortuus sit, & Vicaria etiam vacet, potestne ea filio defuncti Rectoris conferri? Resp. Possè conferri, si persona media intercessit. Id verò duobus modis accidere potest. Primo: Si Rector mortuus sit ante Vicarium, tum eo etiam mortuo non censetur filius illius Rectoris succedere patri, sed potius Vicario. Secundo: Si Rectoria principalis ad alium deuoluta sit, potest is filium prioris Rectoris Vicarium instituere: cum non succedat in iure & titulo patris, sed potius in iure presentis Rectoris. Quare Presbyter, de quo mentio est in hoc c. potuisset, si voluisset, Marcum instituere Vicarium suum: sed Marcus ideo repellebatur, quia putabat sibi ius competere ad Vicariam ex presentatione, aut institutione profecta à patre suo.

QVÆRES III. Si pater in aliqua Ecclesia Vicarius intulatus fuit, potestne immediate post ipsum filius Vicariam consequi? Resp. cum Rebuffo in praxi tit. de dispens. super defectu natal. num. 16. Non posse. Quia etiam hæc res hæreditariæ successione imaginem quandam refert. Multò minùs filius, nulla mediâte persona, Rectoriam principalem consequi poterit eius ecclesie, in qua pater eius Vicarius fuit, uti hic ex communi Antonius notauit.

CAPITVLVM XIV.

Literas.

PARAPHRASIS.

Relatum est Alexandro III. quòd Henricus, quem Sacerdos in Sacerdotio ex vxore legitima genuit, sacros ordines suscipere cuperet. Ad hoc respondit Pontifex, Licet

incontinentia Sacerdotum in filiis quoque notanda & redarguenda sit, in hoc tamen casu, si alioquin dignus est Henricus, permittere se, ut ordinetur, & ecclesiasticum beneficium consequatur.

SUMMARIUM.

1. *Filius, quem Sacerdos post promissam continentiam ex vxore genuit, absolute loquendo, legitimus censetur.*
2. *Est tamen irregularis.*

Disputant hinc Canonistæ, vtrum Henricus iste filius legitimus fuerit, necne: Et vtrum Papa cum ipso dispensarit, an verò secundum ius commune ad ordines & beneficia ecclesiastica admissus fuerit.

Ad 1. resp. ex communiore sent. apud Suarez de censur. disp. 50. sect. 2. n. 3. Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 38. contra Rebuff. in praxi tit. de dispensat. super defect. natal. num. 40. & Gloss. hic ver. not. vn. Filium, quem sacerdos, post promissam continentiam ex vxore genuit, absolute loquendo, legitimum censeri: cum ex vero matrimonio natus sit; quippe quod semel legitime contractum, nullo voto simplici continentie dissoluitur, sed neque professione solemnè in Religione, si consummatum fuerat.

Ad 2. resp. Licet talis filius legitimus sit, ac proinde hereditariæ successione, aliorumque iurium capax, attamen irregularem esse, atque sine Sedis Apostolicæ licentia ad sacros ordines & beneficia ecclesiastica promoueri non posse, sicuti Innoc. hic, & alij communiter docent, atque aperte colligitur ex hoc c. secundum integram eius lectionem, apud Suarez cit. sect. 2. n. 5. Cum Henricus iste per paternam incontinentiam genitus sit, ideo secundum canones ab ordinibus repellendum esse; tamen ut postulationis sue apud Sedem Apostolicam effectum aliquem consequatur, permittere se, &c. Ratio est; Quia negari non potest, quin filius ita genitus ex sacerdote, aut sacrum ordinem professo, maculam aliquam contrahat propter incontinentiam, & sacrilegium patris, argum. c. ministri, 19. d. 81. Sed & periculum sit, si sacerdos ordinetur, ne patri similis euadat.

CAPITVLVM XV.

Cùm decorem.

Filij Canonorum illegitimè natis conferri non debent beneficia in ijs Ecclesijs, in quibus Patres eorum canonicatum obtinent.

CAPITVLVM XVI.

Ad abolendam.

Filij Canonorum illegitimi, præsertim si spurij sint (siue nati ex mulieribus, cum quibus tempore conceptionis, aut natiuitatis matrimonium consistere non potuisset) in eisdem secularibus ecclesijs, in quibus eorum patres instituti sunt, Canonici fieri non possunt. Et si quis talem instituere præsumperit, à beneficijs suis suspendatur. Ita hoc c. intelligit Gl. ver. illegitimi, & Innoc. hic.

Nota hic argumentum à sensu contrario: Cùm enim Pontifex specificè ac limitatè prohibeat filios illegitimos canonicos institui in ecclesijs secularibus, in quibus patres eorum canonicatum assecuti sunt; censetur permittere, vt filij illegitimi recipiantur in ecclesijs Canonorum regularium, in quibus patres eorum professi sunt. Ita Gl. hic ver. ecclesijs. Sed quid de hac re iure nouo statutum sit, dixi suprà c. 2.

CAPITVLVM XVII.

Dilectus.

Si filius legitimus patri suo in eadem ecclesia absque Sedis Apostolicæ dispensatione, immediatè successit, inde, prout sacri canones statuunt, amouendus est: Tametsi asseratur, quòd Legatus Apostolicus cum eo dispensarit.

NOTANDVM Vn. Legatus Sedis Apostolicæ non potest in vniuersalibus canonibus dispensare, nisi id ei aut præscripta consuetudine, aut speciali priuilegio competat.

CAPITVLVM VLT.

Nimis.

Filij sacerdotum, & alij illegitimè nati Clerici ad dignitates, personatus, & curata beneficia absque Sedis Apostolicæ dispensatione promoueri non possunt; sin autem ita promoti sint, remoueri debent.

Hinc verò per sensum contrarium colligunt DD. Quòd Episcopus cum illegitimis dispensare possit ad beneficia simplicia, vt expressius habetur in c. 1. eod. in 6.

Sed quæres: Si beneficium simplex v.g. ecclesiæ Collegiatæ Canonicatus curam animarum per accidens annexâ habet, propter vniuersitatem Ecclesiæ parochialis, vtrum ad illud beneficium consequendum Episcopus cum illegitimo ex causa iusta dispensare possit? Resp. affirmatiuè cum Lappo in cit. c. 1. n. 3. Ancharano ibid. q. 1. contra Gl. ver. tale. Quia beneficium vniuersum per se non confertur, sed accessoriè cum principali, cuius naturam & conditiones sequitur, vt dixi lib 4. tr. 2. c. 9.

CAPITVLVM I. eod. Tit.

in 6.

Is qui.

PARAPHRASIS.

Illegitimè nati per Episcopi dispensationem (si alio impedimento canonico non laborent) ad ordines minores, & beneficium, cui cura animarum non incumbit, promoueri possunt: dummodò tale beneficium sit, vt limites dispensationis Episcopalis non excedat. Sed ad maiores ordines, & beneficia curata absque Apostolicæ Sedis dispensatione promoueri nequeunt.

§. Ille verò.

Qui à Sede Apostolica dispensationem accepit, vt non obstante defectu natalium, beneficium, etiam curatum, consequi possit.

possit; is prætextu huius dispensationis, quippe quæ tanquam à iure communi exorbitans strictam interpretationem mereatur) vnicum tantum beneficium obtinere potest.

SUMMARIUM.

1. Aliud est legitimario; aliud verò dispensatio cum illegitimo ad certum actum seu effectum, v.g. ad ordines, beneficia.
2. Discrimen I. Legitimatio est absolutè dicta natalium restitutio; ita ut per se legitimatus gaudeat omnibus legitimorum iuribus.
- Dispensatio non abolet defectum natalium, sed tribuit ut eo non obstante illegitimus ad unum vel plures actus legitimos admitti possit.
3. Discrimen II. Dispensatio strictam interpretationem; latam autem habet legitimario.
4. Discrimen III. Legitimatio proprium Principis privilegium est; Dispensatio autem etiam quandoque ordinario iure inferioribus competit.
5. Beneficia simplicia, quæ limites dispensationis Episcopalis excedunt, sunt, quæ vel secundum ius commune, vel secundum consuetudinem Curia Rom. vel ecclesie particularis iuratum, aut à Sede Apostolica confirmatum statutum illegitimus provenire non possunt.
6. Dispensatio papalis super natalium defectum explicari debet, ut non plus conferat, quam verba strictè accepta significant.

Primum sciendum est, quod aliud sit legitimatio, aliud verò dispensatio cum legitimo ad certum actum, seu effectum, v.g. ad ordines, ad beneficia. Inter hæc enim varia discrimina sunt: Primum & præcipuum, quod legitimatio sit absolutè dicta natalium restitutio, ita ut legitimatus omnibus legitimorum iuribus gaudere possit, iuxta l. quæris, ff. de natalibus restituendis. Præterquam si aliqua vel in ipso rescripto, vel communi iure, aut consuetudine regni specialiter exce-

pta sint. Quomodo legitimatus in civilibus succedere non potest in paterna nobilitate, feudo, &c. Et legitimatus in Ecclesiasticis promovetur non potest sine nova Pontificia dispensatione ad dignitatem Episcopalem vel Cardinalitiam, ut dixi lib. 5. tr. 10. p. 3. c. 5. n. 17. & 18. At verò dispensatio absolutè non abolet defectum natalium, sed tribuit, ut eo nõ obstante, illegitimus ad unum vel plures actus legitimos admitti possit. Ex quo nascitur alterum discrimen; Quod dispensatio in defectu natalium, cum iuri communi (quod favorabile est) deroget, strictam interpretationem habere debeat, uti dicitur in hoc c. 5. sanè, & consentit c. non potest, 21. de præb. in 6. iun. Gl. magna. At verò legitimatio, cum sit gratia & beneficium Principis, amplam potiùs interpretationem mereatur, quod notarunt Lappus & Ancharanus super hoc c. Cotiar. in epit. 4. decretal. p. 2. c. 8. §. 8. n. 5. Molina to. 1. de iust. tr. 2. disp. 173. n. 3. Tertium discrimen. Legitimatio, seu natalium restitutio proprium Principis privilegium est. At verò dispensatio in ordine ad certum actum, vel effectum etiam inferioribus quandoque communi & ordinario iure competit, v.g. Episcopis, ut cum illegitimis subditis, vel saltem diocesanis suis dispensare possit ad ordines minores, & beneficia simplicia.

Nunc quæritur: Quænam beneficia simplicia sint, quæ limites dispensationis Episcopalis excedunt. Resp. Ea sunt, quæ vel secundum ius commune, vel secundum consuetudinem Curia Romanæ, vel secundum Ecclesie particularis iuratum, aut à Sede Apostolica confirmatum statutum illegitimis provenire non possunt. Exemplum primi: Illegitimus per Episcopi dispensationem consequi non potest beneficium simplex in ecclesia, ubi pater eius beneficiatus est, aut fuit. Exemplum secundi. Illegitimus per Episcopi dispensationem non potest consequi Ecclesie cathedralis Canonicatum, uti docet Rebuffus in praxi tit. de dispensat. super defectu natalium, n. 10. Quandoquidem etiam Papa in dispensatione cum illegitimo ad beneficia quæcunque excipere solet dignitates

& Canonicatus in ecclesia Cathedrali, & primam seu principalem in Collegiata, sicuti testatur Garcias de benef. p. 7. c. 2. n. 71. Vtrum autem, spectato iure comuni & abstrahendo à consuetudine Curie, Episcopus cum illegitimo ad canonicatum Ecclesie Cathedralis dispensare possit, disputant hic DD. & multi affirmant, inter quos Archidiaconus & Dominicus contra Ioan. Monachum hic, n. 7. & Gl. hic ver. beneficium. Videri potest Less. lib. 2. de iust. c. 34. n. 86.

Exemplum tertij. Si Canonici Ecclesie Collegiate statutum fecerint, vt nemo in Capitulum recipiatur, nisi legitime natus sit, non potest in eo Episcopus, vel similis Prælatus dispensare, si iurauit se quoque illud seruaturum; vel si Apostolica auctoritate confirmatum est. Idemque est, si Capitulum statutum habeat à Papa confirmatum, vt in Canonicum nemo recipiatur, nisi in maioribus ordinibus constitutus sit: cum enim Episcopus non possit cum illegitimo dispensare in ordine ad ordines maiores, consequenter non poterit eum habilitare ad eius ecclesie canonicatum, nisi prius à Papa dispensationem accepisset, vt ordines sacros suscipere ei liceat. Videri potest Ioan. Monachus n. 4. Lappus n. 5. & Anchoranus. §. Quæro, vtrum. Qui tamè probabiliter aiunt, Episcopum in tali casu dispensare posse, si beneficium, vt ordinariè accidit, non requirat sacrum ordinem actu, sed vt intra annum promoueatur: iuxta c. commissa, 35. in 6. de elect. Si enim dispensatus intra annum non promoueatur, amoueri poterit, sin autem accepta noua dispensatione à Sum. Pontifice, ordinetur, tum beneficium retinebit.

s. Sanè, vt supra.

NOTANDUM Vn. Dispensatio Papalis super natalium defectu, ita explicari debet, vt non plus conferat, quam verba strictè accepta significat. Quæ de re legi possunt, quæ congerunt Rebuffus cit. tit. de dispensat. super natalium defectu, n. 41. & seqq. Sairus in thesauro, cit. lib. 6. c. 11. n. 17. Couar. in 4.

decret. p. 2. c. 8. §. 8. n. 5. Videl. Si Papa cum illegitimo dispensauit, vt ordines suscipere possit, intelligendum est de minoribus tantum: Si dispensauit ad ordines, etiam sacros, non censetur etiam dispensasse ad beneficium, Quod tamen mihi non placet: quandoquidem secundum canones ordinato in sacris debetur beneficium, c. proposuit, hoc tit. Si ergo Papa concessit prius, censeri debet etiam concessisse consequens, iuxta ea quæ dicam in c. cum teneamur, 6. de præb. Præterea qui à Papa dispensatus est ad beneficia, non potest idcirco obtinere pensionem, cum pensio propriè non sit beneficium: Item qui ad beneficia simpliciter dispensatus est, non potest promoueri ad curata: Et qui ad curata etiam dispensationem obtinuit, non ideo eo sequi potest dignitates, aut personatus Ecclesiarum: Et qui ad beneficia quæcumque, etiam dignitates, non ideo obtinere potest principalem in Ecclesia Collegiata, nec maiorem post Episcopalem in Cathedrali: quia secundum stylum Curie hæc dignitates specialia expressionem requirunt, ideoque in generali concessione, seu dispensatione non comprehenduntur, argum. reg. 81. in 6. Denique dispensatus ad dignitates quascunque non ideo habilis censetur ad Episcopatum, vel Cardinalatum, ob eandem specialitatis rationem.

Denique vt ex hoc § colligitur, dispensatus à Pontifice ad beneficium simplex, aut curatum, si eo retento, aliud beneficium consequi velit, non tantum prioris mentionem facere debet, sed etiam natalium defectum exprimere, vt ex communi docet Couar. cit. §. 8. n. 5. Molin. cit. disp. 173. num. 35. Sed neque dimisso vno beneficio, super quo dispensatus est illegitimus, aliud obtinere potest absque noua dispensatione. Cuius rationem affert Ioan. Monachus hic, quia prior dispensatio si data sit super certo beneficio, effectum suum consecuta fuit, ideoque eius efficacia cessat. At verò legitimatio semel data semper manet & operatur. Porro si Papa cum illegitimo indeterminatè dispensarit, ad beneficium aliquod consequen-

sequendum, tunc vno dimisso aliud consequi poterit, ut bene hic distinguunt Dominicus de Geminiana, & Anchoranus.

CAPITVLVM II.

Si is.

PARAPHRASIS.

Titius illegitimè natus impetrauerat à Papa dispensationem ad omnes ordines, & beneficium, etiam curatum consequendum. Postea aliam dispensationem obtinuit, ut liceat ipsi duo, aut plura beneficia curata habere, nulla facta mentione defectus natalium; hoc casu ait Pontifex Bonifac. VIII. posteriorem dispensationem subreptitiam, & nullius momenti esse: Quia verisimile non est, Pontificem eam concessurum fuisse, si natalium defectus expressus fuisset.

SUMMARIVM.

1. Dispensatio super impedimento restringitur ad tenorem postulationis.
2. Dispensatio Papalis facta ex motu proprio, seu ex certa scientia, non requirit, ut totum impedimentum exprimat in literis.

Pro confirmatione huius responsi in primis repetendum est, quod dixi præced. c. & notat hic Anchoranus: Licet legitimatus à Principe, alia iura ac priuilegia consequi possit, tamen si defectum natalium subtrahat, cum is per legitimationem sublatus sit; secus tamen est in dispensato ad certum effectum, v. g. vnum beneficium curatum accipiendum: Is enim nihilominus illegitimus manet; consequenter in impetratione nouæ gratiæ, quæ illegitimis non facile concedi solet, debet defectum natalium iterum explicare. Deinde aduertendum est ex Lappo c. 1. n. 6. hoc tit. & lib. Si Papa ad alicuius petitionem dispense super impedimento, tum dispensatio restringitur ad ea, quæ à postulante proposita sunt; consequenter si totum impedimentum non est expressum, dispensatio non valet; eum personam non omnino habilem faciat. Sicuti apparet in casu huius c. Siquidem Titius ad obtinendum alterum curatum habet duo impedimenta; videlicet quod vnum iam habeat & retinere velit; & quod natalium defectu laboret: quare vtrumque in petitione explicare debet.

Sin autem Papa motu proprio, seu ex certa scientia dispense, tunc non requiritur, ut totum impedimentum in literis exprimat; cum sufficiat clausula generalis, non obstantibus, per quam omnia impedimenta sublata censentur, quæ Apostolica potestate auferri possunt, ac solent.

TITVLVS XVIII.

DE SERVIS NON ORDINANDIS,
ET EORVM MANVMISSIONE.

Serui, quæ hoc tit. docentur, in his consistit. Serui, seu mancipia ordinari non debent, nisi à dominis suis manumissi, seu libertate donati sunt, c. 1. & c. 5. consuluit, hoc tit. Quare si quis

domino ignorante in minoribus ordinatus fuit, potuit eum sibi vendicare seu repetere, c. 2. eod. Sin autem in sacris domino inuito ordinatus esset, quid agendum fuerit, dixi lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 5. c. 8. n. 1. & de hac re mentio fit in c. penult. hoc tit. Interdum verò